

teris consiliis,] quod cum Cæsarianis assidue colloquaris. Sic in epistola ad Cassium: Tu eam partem petisti, vt & consiliis interesses, &, quod maxime curâ leuat, futura animo prospicere posses. Erat enim Cassius apud Cæsarem. *Super legatione Votina.*] quam petere cogitabat, discessionis causa; quemadmodum & petiit, & vsus est. quod ipse in 1. Philippica significat his verbis: Quæ cum audire malle, quam videre, haberemque ius legationis liberum; ea mente discessi, vt adessem Kalendis Ianuarij; quod initium senatus cogendi fore videbatur. Votiuam autem, & liberam legationem idē esse, non dubitabit, qui leget quod scriptum est epist. 18. lib. 2. & 13. lib. 14. *Kalendis.*] ne in senatu Kalendis Iunijs adsim. ep. 14. & 1. *Milites ad eam diem comparati,*] vide epist. 4. lib. 15. & in 2. Philipp. *Istos,*] Brutum, & Cassium.

PAVLLI MAN-
NVTII COMMENTA-
RIVS IN LIBRVM DECI-
MVM QVINTVM EPISTOLA-
rum Ciceronis ad At-
ticum.

IN EPISTOLAM I.



DE ALEXIONE.] medicus Ciceronis Alexio perierat. ep. 2. *De Antonio*] ep. 20. lib. 14. *Egi primum,*] egi cum eo de re Buthrotia. *Nihil mihi concedebat.*] rem Buthrotiam, eque atque ego, videbatur cupere. Sic epist. 33. lib. 13. Nosti diligentiam Capitonis in rebus nouis perquirendis: nō

N iij